



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Clypevs Theologiæ Thomisticæ

Continens Tractatus de attributis, de visione Beatifica, de scientia Dei, ac
de ejus voluntate, & Providentia

Gonet, Jean-Baptiste

Parisiis, 1669

Art. III. Quomodo visio beata penetret libera Dei Decreta?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77232](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77232)

non aliud: sicut quamvis eadem sit entitas natura & persona in Verbo, illa tamen unitur, & applicatur humanitati in ratione personæ, ad illam terminandam, non vero in ratione naturæ, ad illam constituendam.

30. Ad objectionem, concessio Antecedente, nego Consequentiam, & paritatem. Ratio disparitatis est triplex. Prima, quia unio, & communicatio realis alicujus formæ, fieri potest sine unione, & communicatione eorum omnium, ad quæ dicit essentialem habitudinem: secus est de cognitione quidditativa, cum relativa (ut supra dicebamus) sint simul naturæ, & cognitione: unde licet paternitas non possit comunicari Filio, per generationem æternam, & in Incarnatione unio hypostatica facta fuerit ad Personam Filij, non ad Personam Patris; repugnat tamen unam videri sine alia.

Secunda ratio disparitatis est, quia in Patre essentia & paternitas, & in Verbo, subsistentia & natura, distinguuntur virtualiter, in ratione comunicabilis, & unibilis, non tamen in ratione veri transcendentaliter, & visibilis: quia eadem essentia divina virtualiter indistincta, habet rationem speciei intelligibilis, respectu sui, & respectu attributorum, & relationum. Unde quamvis communicatæ essentia Filio, paternitas non comunicetur, & unita personalitate Verbi humanitati assumptæ, Persona Patris non dicatur incarnata: repugnat tamen, visâ essentia divinâ, non videri relationes, & attributa.

Tertia ratio disparitatis est, quia visio beatifica est cognitio Dei ut est in se; & quia Deus ut est in se, non potest manifestari quoad aliquid, & latere quoad aliud, eò quod manifestari aliquid actûs puri, & manifestari totum, idem sit, ut supra dicebamus; implicat, per visionem beatificam videri naturam, non visis attributis, vel personis. Communicatio verò realis, sive ad intra per processionem, sive ad extra per unionem hypostaticam, non est communicatio Dei quomodocumque, sed juxta exigentiam, & capacitatem extremi cui fit; & sic non fit sub omni modo, & secundum omnia quæ identificantur cum termino talis unionis, & communicationis, sed secundum quod illud extremum exigit, vel est capax. Unde in generatione æterna Pater æternus communicat Filio essentiam, & non paternitatem; quia cum hæc sit relativè opposita filiationi, Filius non est capax illius. Et in Incarnatione comunicatur humanitati persona, & non natura; quia humanitas potest subsistere, & terminari per subsistentiam Verbi, non tamen intrinsecè constitui per ejus naturam.

31. Ad confirmationem, negandum est Antecedens: licet enim possit uniri essentia divina in ratione speciei, & non in ratione naturæ, vel subsistentiæ: tamen semel unita in ratione speciei (cum sit unio intelligibilis, & manifestativa Dei ut est in se) implicat uniri ad manifestandum aliquid, & non totum quod est in Deo: quia cum sit actus purus, in illo aliquo, quantumcumque minimo, omnis alia perfectio includitur; ac proinde repugnat Deum videri ut actum purum, & aliquam ejus perfectionem non manifestari, ut antea ponderatum est.

32. Objicies ultimò: Objectum primum potest videri sine secundo: Sed essentia divina est objectum primum visionis beatificæ, attributa verò, & relationes, pertinent tantum ad objectum secundarium: Ergo potest videri divina essentia,

A non visis relationibus, & attributis. Major videtur manifesta, Minor verò constat ex dictis Tractatu precedenti, ubi ostendimus solam essentiam esse objectum primum, tam motivum, quam terminativum divinæ intellectiois: attributa verò, & relationes pertinere solum ad objectum secundarium, unde cum visio beatifica sit participatio divinæ cognitionis, idem de illa sentendum est. Disp. 2. art. 5.

Respondeo primò, distinguendo Majorem: Objectum primum potest videri sine secundo, quando non habet necessariam connexionem cum illo, concedo. Si sint inter connexa, & unum transcendentaliter includatur in alio, nego. Unde cum essentia divina sit necessario connexa cum relationibus, & attributis, & in illis transcendentaliter includatur; quamvis relationes, & attributa pertineant ad objectum secundarium visionis beatæ, repugnat tamen divinam essentiam sine illis videri. 33.

Respondeo secundo: Relationes, & attributa non esse propriè objecta secundaria divinæ intellectiois, nec proinde visionis beatificæ, quæ est ejus participatio: sed potius modos objecti formalis, & primarij, qui se habent respectu essentia divinæ, sicut sensibile commune respectu sensibilis proprij, v. g. quantitas, & figura, respectu coloris. Unde sicut (iuxta probabilior sententiam) repugnat oculum videre colorem, sine extensione, & figura (ex quo inferunt Theologi, corpus Christi non posse videri in Eucharistia, cum in ea careat extensione locali, & figurâ) ita implicat, intellectum beatum videre essentiam divinam, sine personalitatibus, & attributis. 34.

ARTICULVS III.

Quomodo Visio Beata penetret libera Dei Decreta?

§. I.

D Premittitur quod apud omnes est certum & diffusius resolvitur.

SUPpono tanquam certum, beatos videre in Verbo aliqua libera Dei decreta, licet non omnia. Ut enim infra dicemus, beati vident in Verbo quæ pertinent ad statum proprium ipsorum: Atqui multa decreta Dei libera pertinent ad ipsorum statum, ut ea quæ versantur circa illorum salutem, vel eorum qui ad illos pertinent: Ergo beati cognoscunt aliqua libera Dei decreta. Unde D. Bernardus loquens de beatitudine: *Quidni (inquit) videatur ibi cor Dei? Quidni ibi probetur, quæ sit voluntas Dei bona, & beneplacens, & perfecta? Patent viscera misericordie, patent cogitationes pacis, divitiæ salutis, mysteria bona voluntatis etc.* 35.

Quod verò omnia libera Dei decreta non videantur a beatis, colligitur ex D. Thoma infra quæst. 57. art. 5. ubi ait, *In visione beata, Angeli cognoscunt mysteria gratiæ, non quidem omnia, neque equaliter omnes, sed secundum quod Deus voluerit eis revelare.* Ratio etiam id suadet: nam libera Dei decreta videri non possunt, nisi attingantur objecta liberè volita ad quæ terminantur, cum actus liber Dei constituatur per connotationem, vel terminationem activam ad creaturas, defectibilem sub ratione puræ terminationis. 36.

Disp. 1. art. 2. nis, & indefectibilem sub ratione entitatis & perfectionis, ut dicemus in Tractatu de voluntate Dei: Sed omnia objecta libere à Deo volita, non cognoscuntur à quolibet beato, ut constat de ultimo die iudicij, de quo dicitur Matth. 24. & Marci 13. *De ultimo die iudicij nemo scit, neque Angeli in celo:* Ergo omnia decreta Dei libera non videntur à beatis.

Hoc præsupposito, inquirimus modum quo beati vident & penetrant libera Dei decreta: an ex vi visionis beatæ, & per ipsum lumen gloriæ, quo essentia divina manifestatur, vel ex aliquo alio lumine, aut revelatione divina, ad visionem beatificam subsecuta? Pro resolutione.

37. Dico, decreta Dei libera cognosci à beatis ex vi visionis beatæ, & lumine gloriæ, quo vident divinam essentiam, quatenus tale lumen habet vim revelationis, & manifestationis eorum quæ sunt in voluntate Dei. Est contra aliquos Recentiores, qui volunt illa non cognosci à beatis in verbo, & per lumen gloriæ, sed extra verbum per revelationem divinam. Est tamen D. Thomæ infra quæst. 57. art. 5. ubi sic ait: *Est autem alia cognitio quæ Angelos beatos facit, quæ vident verbum, & res in verbo: & hæc quidem visio cognoscunt mysteria gratiæ, &c.*

38. Eadem veritas ratione suadetur. Lumen gloriæ ob suam eminentiam utrumque munus habet, & quidditative cognoscendi essentiam divinam, & manifestandi per modum revelationis ea quæ Deus liberè vult, & quantum, & quomodo vult, beatis manifestare: Ergo ex vi talis luminis, beati cognoscunt in essentia divina, libera Dei decreta. Consequentia patet, Antecedens probatur. Lumen gloriæ eminentius est lumine prophetico, & comparatur ad ipsum, sicut lumen principiorum ad ea quæ ex principijs deducuntur, ut colligitur ex D. Thoma 2.2. quæst. 171. art. 2. ubi inquit: *Principium eorum quæ per prophetiam manifestantur, est ipse Deus, qui per essentiam non videtur à Prophetis, videtur autem à Beatis, in quibus huiusmodi lumen inest per modum formæ permanentis, & perfectæ, secundum illud P sal. 35. in lumine tuo videbimus lumen.* Sentit ergo quòd lumen beatificum sic attingit divinam essentiam, quòd attingit principium earum veritatum quæ videntur lumine prophetico per modum transeuntis: constat autem per prophetiam manifestari actus liberos Dei, & ea quæ per decreta libera Deus vult: Ergo etiam lumen gloriæ, quatenus eminenter continet lumen propheticum, & habet vim revelationis, & manifestationis eorum quæ sunt in voluntate Dei, penetrat libera Dei decreta.

39. Probatur secundò conclusio, ex doctrina quam communiter tradunt Thomistæ in materia de locutione Angelorum: docent enim cum S. Doctore quæst. 9. de veritate art. 4. ad 11. quòd per eandem speciem, & per idem lumen, quo cognoscitur ipsa substantia, & voluntas Angeli loquentis, etiam cognoscitur ejus actus liber; per hoc solum quòd ipse cogitans velit ordinare cogitationem suam ad alterum, & hac ratione tollere occultationem moralem, quam habet cogitatio cordis, ex eo quòd libera est. Sic ergo in præsentem dicimus, quòd per ipsum lumen quo beati cognoscunt naturam divinam, & quiddiditatem Dei pertinet, quòd est lumen gloriæ, & per eandem speciem impressam, quæ quidditative representat Deum, ejusque attributa (quæ est ipsamet Dei essentia, gerens vi-

Tou. I.

A ces speciei intelligibilis) supposità directione, & ordinatione Dei, quæ velit dirigere, & ordinare actum suum ad intellectum beati, cognoscet ejus decreta libera, sine distincti luminis infusione. Ex quo habes, essentiam divinam, uno modo esse speculum necessarium, alio liberum. Est enim speculum necessarium, quatenus seipsam manifestans, non potest occultare attributa & relationes; liberum verò, quatenus ex suis decretis, & ex creaturis existentibus, aut ex futuris contingentibus, potest hæc vel illa, ut libuerit, beatis manifestare.

§. II.

Solvuntur objectiones.

Objicies primò: Actus liber Dei, ut talis, non est minùs occultus de se, quàm actus liber creatus: Sed iste non potest cognosci ex sola penetratione, & cognitione quidditativa voluntatis creatæ, ut constat in Angelo superiori, qui licet comprehendat intellectum, & voluntatem inferioris, ex vi tamen hujus comprehensionis, non cognoscit ejus cogitationes & actus liberos, sed indiget novâ revelatione, seu manifestatione, quæ à Theologis locutio, aut illuminatio appellatur: Ergo similiter, beati ex vi luminis gloriæ penetrantis divinam naturam & voluntatem, non possunt cognoscere ejus decreta, sine nova revelatione, seu novi luminis infusione.

Respondeo quòd licet actus liber Dei non sit minùs occultus, quàm actus liber Angeli, & ideo non possit cognosci à beatis ex vi visionis divinæ essentiæ absolute; sicut nec potest cognosci actus liber Angeli, ex sola penetratione, & comprehensione voluntatis angelicæ: sicut tamen, supposità directione, & ordinatione, quæ unus Angelus vult ordinare suum conceptum, & actum liberum alteri quem vult alloqui, statim ipsum lumen naturale intellectus angelici, potest cogitationes cordis alterius Angeli penetrare, ut docetur in materia de locutione Angelorum. Ita etiam supposità divinâ ordinatione, quæ actus liber Dei dirigitur ad aliquem beatum cui vult illum manifestare, lumen gloriæ quo voluntas & substantia Dei quidditative cognoscitur, attingit, & penetrat libera ejus decreta, sine nova revelatione, & absque novi luminis infusione. Unde hoc argumentum solum probat, libera Dei decreta non videri absolute, ex vi visionis divinæ essentiæ, sed supposità legè, & voluntate Dei, quæ vult ea beato manifestare: quæ manifestatio, revelatio quædam est; non quidem extra verbum, sed in ipsomet verbo facta.

Objicies secundò: Si beati videret decreta Dei ex vi visionis beatificæ, & luminis gloriæ penetrantis divinam naturam & voluntatem, sequeretur quòd quilibet beatus videret omnes actus liberos Dei, vel quòd nullum omnino videret: Neutrū potest dici, ut constat ex suprâ dictis: Ergo beati libera Dei decreta non vident ex vi visionis beatificæ &c. Sequela Majoris probatur: Vel enim actus liberi Dei necessarium habet connexionem cum divina essentia, quæ est objectum primarium visionis beatificæ, vel non? Si primum dicatur, sequitur omnes actus liberos videri à quolibet beato; cum quilibet beatus videat omnia quæ habent necessariam connexionem cum natura & quidditate Dei. Si verò secundum affirmetur, sequitur nul-

Y

lum actu liberum videri à beatis, ex vi visionis beatificæ, cum ex vi illius, ea tantum videantur, quæ habent necessariam connexionem cum essentia divina.

43. Confirmatur: Si actus liberi Dei videantur in essentia divina clarè visa, & ex vi luminis gloriæ eam manifestantis, sequitur quòd ille qui perfectius videret essentiam divinam, & haberet intensius lumen gloriæ, plura etiam videret decreta libera voluntatis divinæ: Sed hoc est falsum, cum enim, ut infra dicemus, quilibet beatus videat in essentia divina omnia quæ pertinent ad ejus statum, ille qui habuit majorem curam in Ecclesia, & qui fuit v. g. Summus Pontifex, vel Patriarcha alicujus Religionis, plura videbit decreta Dei, quam alter qui non habuit talem curam in Ecclesia, quamvis sit magis beatus, & habeat intensius lumen gloriæ: Ergo &c.

44. Ad objectionem respondeo negando sequelam Majoris. Ad probationem dicendum quòd licet actus liberi Dei, secundum entitatem, & realitatem increatam quam important, habeant necessariam connexionem cum divina essentia, ac proinde secundum hanc rationem videantur à quolibet beato, tamen secundum terminationem quam dicunt ad creaturas, non habent necessariam, sed liberam cum illa connexionem: unde sub hac ratione non videntur à beatis, propter necessariam connexionem cum divina essentia, sed quia sunt aliquid ad Deum pertinens, & manifestatum ex ordinatione divinæ voluntatis, huic vel illi intellectui beato.

45. Ex hoc patet responsio ad confirmationem: cum enim actus liberi Dei, non videantur propter necessariam connexionem quam habeant cum essentia divina, sed ex speciali manifestatione Dei dirigentis & ordinantis suum actum liberum ad intellectum uniuscujusque beati, illorum cognitio non debet proportionari, vel commensurari visioni essentiae divinæ, & intensiori luminis gloriæ, sed prædictæ ordinationi, & manifestationi divinæ, quæ major, vel minor est, secundum diversitatem status quem quilibet beatus habuit in Ecclesia militante: unde fieri potest quòd minus beatus interdum plura decreta Dei libera videat in essentia divina, quam magis beatus.

ARTICULVS IV.

Utrum beati videant creaturas posibles in essentia divina tanquam in causa, & medio prius cognito?

§. I.

Premittuntur quæ apud omnes sunt certa, & referuntur sententia.

46. Suppono primò: Beatos ex vi status beatitudinis, aliquas creaturas de facto cognoscere. Probatur hæc suppositio: Quia Joan. 17. dicitur: *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te Deum verum, & quem misisti Iesum Christum*: Constat autem, quòd in Iesu Christo misso includitur non sola divinitas, sed etiam humanitas, quæ aliquid creatum est: Pertinet ergo ad vitam æternam, aliquid creatum cognoscere. Item Concilium Senonense in decretis fidei, damnando illum errorem, quòd Sancti non orant pro nobis, & declarando quomodo Sancti cognoscant orationes nostras, ait: *Hæc facile intelliget, qui beatis pervium esse non ignorat, uniforme illud divinitatis speculum,*

A *in quo quidquid eorum inter se elacescit.* Unde communiter Theologi docent, pertinere ad unumquemque beatum, quòd cognoscat ea quæ spectant ad suum statum, ut colligitur ex D. Thoma 3. parte quæst. 10. art. 2. Inquirimus ergo modum quo beati creaturas in Deo cognoscunt: an videant eas in verbo, & in essentia divina tãquam in causa, & medio prius cognito, vel extra verbum, per species à Deo infusas, & ipsas creaturas immediate representantes: Quod ut magis declaretur.

Suppono secundò, Dupliciter aliquid posse cognosci ex vi visionis beatificæ: primò formaliter, secundò causaliter: formaliter in verbo videri dicitur, quòd cognoscitur eadem visione & eodem lumine ac specie, quã Deus ipse videtur, ratione alicujus connexionis quam habet cum illo. Causaliter verò, quãdo non cognoscitur formaliter per ipsam visionem beatam, nec per speciem increatam, sed aliã diversã cognitione, per revelationem habitã extra verbum, & per species infusas, quæ dantur à Deo intuitu ipsius visionis beatæ, & ab ea derivantur, aut regulantur. Et hoc modo Theologi distinguunt in Christo & in beatis duplicem scientiam: unam beatam, per quam cognoscunt res in verbo, & in essentia divina clarè cognita; & aliã infusam, per quam vident res extra verbum, per species à Deo inditas.

Suppono tertio: Tribus modis posse contingere, quòd plura objecta simul & eodem actu cognoscantur. Primò quia per eandem speciem representantur, quamvis unum non sit ratio cognoscendi aliud. Sic Angelus potest simul, & unico actu cognoscere hominem, equum, & leonem: quia tres illæ naturæ, quamvis inter se diversæ, per eandem speciem illi representantur, ut docetur in Tractatu de Angelis. Secundò plura objecta simul cognosci possunt, propter habitudinem quam unum dicit ad aliud, licet unum in alio non contineatur tanquam in causa. Sic relatio simul cognoscitur cum termino, eò quòd relativa sint simul naturæ & cognitione. Tertio unum potest cognosci in alio, ratione connexionis, & dependentiæ quam habet ab illo: quo pacto quilibet effectus cognosci potest in sua causa. Et de hoc tertio modo cognoscendi creaturas in verbo, agimus in præfenti, & inquirimus, an beati cognoscant creaturas posibles in essentia divina tanquam in causa, & medio prius cognito, ratione dependentiæ, & connexionis quam habet cum illa? Quæ difficultas applicari potest etiam creaturis existentibus, vel futuris: eadem enim est ratio de illis, ac de possibilibus. In cujus resolutione, partem negativam tenet Vazquez hic disp. 50. cap. 6. quem plures ex Recentioribus sequuntur: affirmativam verò amplectuntur Thomistæ, & plures alij.

§. II.

Conclusio affirmativa statuitur.

Dico igitur: Beati vident creaturas posibles, in Deo tanquam in causa, & medio prius cognito. Ita D. Thomas hic art. 8. ubi sic ait: *Manifestum est, quòd sic aliqua videntur in Deo secundum quod sunt in ipso, omnia autem alia sunt in Deo, sicut effectus sunt virtute in sua causa: sic igitur videntur omnia in Deo, sicut effectus in sua causa.* Quòd nihil clarius, & expressius, in favorem nostræ conclusionis dici potest.

Idem passim docent SS. Patres: Augustinus enim II. de civit. cap. 7. hæc scribit: *Cognitio*